



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Didacus de Saavedra, in Indiar. sup. Cestallæ. n. 22 [i. e. 23]

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

deantur, & sane maiori quàm earum fata hucusque videntur. Decem & septem Reductiones in his Prouincijs fundatæ sunt (præter plures alias ab inimicis Brasilianis præcipue Paulensibus deuastatas) quare quasi per transfennam, Maiestatem Tuam oro, vt pia qua soles prouidentia, Tuam Iustitiam exerat aduersus eos, qui Tempa destruant, quæ ibi charitas diuino Nomini erexit. *Hæc nobilissimus Senator in dicto Memoriali, in quo tam bene de huius Prouinciæ Paraquariæ Apostolicis operarijs & loquitur, & sentit.*

Ex quo mira fecunditas, & innumeri fructus subsequuntur.

Societatem expellere, est virtutem modestiam, ac religionem ablegare.

Et frænum morum, ac effrænis libertatis.

* AB EODEM, *fam Gubernatore, & Visitatore eiusdem Paraquariæ, in Sententia, quam tulit in eos, qui ex Ciuitate Assumptionis Societatem per seditionem expulerunt, inter alia hæc ille ait: Expellentes dictos Religiosos vna simul ablegarunt virtutem, modestiam, Religionem, & frænum denique, quo hactenus libertas effrænis, & morum prauitas eorum prædicatione, & exemplis compressa fuit, &c. Ita in Memoriali ad Philip. IV. Martii typis edito per P. Julian de Pedraza ann. 1657. fol. 36.*

Eius filijs Deus vititur ad conuersionem gentium.

22. * A IACOBO DE VERA, *Qui cum è Senatore Mexicano in Regij Senatus Philippinarum Præsidentem electus esset, à Prouinciali Mexicano petiuit aliquos è Societate Patres ad illarum Insularum culturam, sine quibus haud profecturum se instanter asseribat: quatuor tandem concessi tanto huius Christiani Præsidis gaudio, vt de genibus gratias Deo coram nostris egerit, ob ministros, quos secum ferebat (Sic ille dicebat) quibus diuina Maiestas vititur ad conuersionem gentium. Ita apud P. Sandoual Tract. de Institut. Æthiop. Saluandorum. lib. 4. cap. 9.*

Eius regimen, admirabilis harmonia.

23. * A DIDACO DE SAAVEDRA *Equite Iacobo Regio Consiliario in Indiarum supremo. Is in suis Symbolis Christiano-politicis, symbol. 57. fol. 449. Societatis regimen admirabilem harmoniam appellat. Illudque cum Principibus, ac præcipuè Hispano Regi imitandum proposuisset, addit, Si Christiani Principes hanc*

hanc normam sequerentur, profecto illos regnandi artem optimè callituros. Ita eruditissimus vir paucis verbis non pauca in Societatis honorem complexus.

24. A PETRO CORNVTO Senatore Regio in suprema Delphinatus Curia in Tabulis triumphalibus & Historicis Henrici IV. Cognomento Magni Regis Gallie pag.55. Titulo Pietati, sic de ipso Rege loquens ait: Quoniam fide Catholica Regnum firmavit, & stabilivit, Religiosos Ordines dilexit, & amplexus est, Patres Societatis IESV Flexiæ in domo sua Augusta fundavit, & dotavit, & eos viros præstantissimos tanquam cohortes, & fortia propugnacula aduersus hæreses in diuersis Regni partibus disposuit, & collocavit. Sic ille.

Iesuitæ cohortes, & fortia propugnacula aduersus hæreses.

